

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6507

Autre(s) référence(s) : ARTEM 2738

Auteur(s) : Renaud [chapelain]

Bénéficiaire(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : [1080-1084, 19 juin]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Notice racontant l'histoire d'un bien à Bayeux donné à l'abbaye de Jumièges par Renaud le chapelain du roi.

Tableau de la tradition

Original

A. Rouen, Archives départementales de Seine-Maritime, 9 H 1819.

Éditions principales

a. Stapleton Thomas, *Two Transcripts of Ancient Charters Relating to Property in Normandy*, *Archaeologica*, 1838, p. 26-27.

b. Le Cacheux Paul, *Une charte de Jumièges concernant l'épreuve par le fer chaud (fin du XIe siècle)*, *Société de l'Histoire de Normandie, Mélanges*, 1927, p. 213-216.

c. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 162, p. 530-533.

Dissertation critique

Datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 531).

Texte établi d'après c

[Temporibus R]icardi comitis Normanniæ et Rotberti eius filii et Will(el)mi filii predicti Rotberti, fuit quidam eorum capellanus Baiocis Ernardus nomine [pot]ens in prediis et domibus infra civitatem et extra civitatem, quæ emerat suo auro atque suo argento. Quo mortuo tempore [Willel]mi Normannorum ducis, Stephanus nepos predicti Ernaldi iure hereditario successit in hereditatem sui avunculi dono [Wil]lelmi Normannorum ducis. Qui Stephanus habuit puerulum ex quadam muliere vidua nomine Oringa et sorore Normanni [Jambarii] apud Baiocas. Quo puerulo mortuo nesciente Stephano, femina illa ingeniosa, dando pretium Xcem solidorum per annum, emit puerulum a quadam muliere quæ habitabat in villa quæ dicitur Merdiniacus, et illa femina vocabatur Ulburga. Quem Stephanus credens suum iure heredem hereditavit illum de suis alodiis, id est de domibus quas habebat ad portam arboream infra civitatem et de xiicim acris terræ quas habebat ad aureum fontam extra civitatem et pluribus ortis censum illi reddentes. Deinde, mortua femina Stephani prius et postea ipso mortuo, supradicta femina de Merdiniaco, non habens pretium sui pueruli quod solita erat habere, reclamavit suum infantem, et non potuit habere pro parentibus femine Stephani.

Cuius femine clamor perveniens ad Will(el)mum ducem, iam factum regem, et ad Matildam uxorem eius in villa quæ dicitur Bona villa, fecit rex inde tenere placitum, qua probatione mulier illa rehaberet suum puerum. Et diiudicavit rex Will(el)mus et Ioh(anne)s archiepiscopus et Rogerus Belmontensis et alii conplures, quod femina illa quæ puerum reclamabat per iudicium ferri calidi rehaberet suum filium, si Deus eam servaret illesam. Ad quod iudicium videndum misit me Rainaldum suum clericum rex Will(el)mus et Mathildis uxor eius Baiocas, et precepto regis ibi affuerunt mecum Will(el)mus archidiaconus, qui nunc est abbas Fiscannensis, et Godselmus archydiaconus et Rotb(er)tus Insule, cum Albereda uxore sua, et Euremarus Baiocis et alii conplures ex melioribus hominibus civitatis. Quo iudicio portato in monasteriolo sancti Vigoris, fuit mulier illa quæ puerum reclamabat Dei iudicio illesa, me vidente et prenominitis hominibus. Quod rex, per me audiens et per prefatos viros, accepit in suum dominium possessionem Stephani, et dedit eam regine, et regina dedit michi, concessu regis, domos et xiicim acras terræ quæ iam predixi et ortos et omnia quæ habuerat Stephanus de suo alodio. Nam alias res eiusdem Stephani que pertinebant ad æcclesiam sancti Joh(anni)s, quæ erat capella regis, dederat iam rex Thomæ suo clerico, nondum archyepiscopo. Deinde ego Rainaldus, Dei bonitate veniens ad ordinem sancti Benedicti, Gemeticum petii, et quod Baiocis tenueram de rege Will(el)mo et Mathilde regina, eorum concessu et sigillo, eodem loco concessi, et quamdiu in clericali habitu fui quiete hæc omnia et absque ullius calumpnia tenui. Et si loco sancti PETRI Gemmetico rectum conceditur, quiete omnia quæ predixi et dedi habebit, quia quiete eam tenueram et in clericali habitu ut predixi. Gauffredo clerico cognomento Masculo unum ortum dedi de prefato alodyo, ut inde serviret mihi, et alium Euremaro, xicim solidos reddentem per annum. Pro quo idem Euremarus interesset meis placitis, si necesse fuisset, et quotiens venirem Baiocas per annum, preberet mihi de suo, prima nocte, vinum et cervisam et panem factitium per consuetudinem et victum equorum, et hoc testimonio REGINÆ domine mææ. Et si opus haberem, acrederet mihi usque ad centum solidos in civitatem. Et tertium ortum dedi Vitali clerico ut inde mihi serviret. Et nemo istorum potest vendere ortos istos nisi abbati et monachis, neque alicui sine licentia ipsorum. Hæc omnia quæ prescripsi bene novit ita esse Vitalis clericus qui in omnibus mecum interfuit, et si alicuius timore aut amore veritatem huius rei negaverit excommunicet illum Deus omnipotens et ego in quantum possum. Et ille bene scit domos infra civitatem et terram extra civitatem positam semper fuisse quietas ab omni consuetudine Normannorum principis, scilicet theoloneo, gildo, molta molendinorum et custodia vigiliarum. Et dominus predictæ terræ, si faceret adducere vinum suum de Argencis, esset quietum suum carragium apud Cadomum et apud Baiocas. Et, ut audivi, Samson clericus clamat in predictis rebus. Sed tunc non clamavit quando ei vendidi unam de domibus infra civitatem cum terra ipsius domus sexaginta libris, de quibus habui quinquaginta libras et adhuc debet mihi x libras in weredono. Et adhuc habeo homines qui eosdem denarios receperunt. Et hoc fuit factum testimonio reginæ. Et tunc temporis bene erat Samson cum rege WILLELMO et MATHILDÆ regina, qui illi facerent rectum de suis clamoribus si aliquid iuste clamaret. Et si in illa terra aut in illis domibus se aliquid recti habere sciret, nullo modo michi tunc denarios prefatos dedisset.